



NOVA POSONIENSIS.

ANNO CHRISTI MDCC XXI.

DIE X. DECEMBRIS.

M

Antua Carpetanorum,
a. d. 1. *Nouemb.* Na-
talis reginæ nostræ,
qui in diem 24. *Octob.*
inciderat, in palatio
Scoriacensi, quorsum
rex cum aulæ proce-
ribus se contulerat, inter gaudia mu-
tuasque congratulationes, consumtus
est. Eadem die regina, annum ætatis
secundum supra tricesimum ingressa,
perbelle se habuit, & singulari prorsus
erga omnes fuit humanitate, qui gra-
tulandi causa eam accesserant. Litte-
ræ, quibus Pontifex Romanus a. d. 2.
Decembris Iubileum in his regionibus
indixit, nunc editæ, atque ubiuis lo-
corum solemniter promulgatæ sunt.
Iam regis reginæque auspiciis omnia
sedulo comparantur in hac vrbe, quæ

itineri, quod regis Galliæ sponsa, Gal-
liam versus suscipiet necessaria esse exi-
stimantur.

Lutetia Parisiorum, a. d. 7. *Nouemb.*
Ante triduum cursor hac transiit, qui
Mantua Carpetanorum veniens, in An-
gliam profectus est, & secum adtulit
litteras *Pozzo-Bueno* regis Hispaniæ le-
gato, quibus ei præceptum fuit a rege,
vt tabulas, quibus pacta conuentaque
perscripta sunt, quamprimum ad Im-
peratorem Romanorum perferendas
curaret. Atque sic futurum speramus,
vt conuentus Cameracensis proximo
quoque tempore sua sumat initia. In
conuentu, quem initio huius mensis
Doctores Sorbonnici instituerunt, nihil
memoratu dignum actum est, propte-
rea quod ex aula editum fuerat, ne
quid eorum, quæ hoc tempore ageren-
tur.

tur, ad regis aures perferretur. Nihilominus tamen dixisse ferunt quosdam Patres: „Etiam si preces nostras nunc „aditu ad regem prohiberi animadver- „timus, id tamen neutiquam displiciturum regi speramus, si Deum rogaue- „rimus precibus, ut illius animum in „dies magis ac magis sua luce illustret.

Alia ex eadem urbe, a. d. 12. Nouemb. Iam *Cartouchii* causa, quaesitorum capitalium tribunal a rege constitutum est, in quo praesidis locum tenebit *Ame- lotus*, cui duodecim dati sunt collegae, cum quibus in nequissimi hominis facinora quam diligentissime inquiret. Singulis fere diebus in hanc adducuntur urbem, quos ille scelerum socios atque ministros habuit. Ex illis quinquaginta iam, publica, quae ad palatium est, * detinentur custodia, quorum alii facinora, quae admiserunt, libere profitentur, alii, exemplo *Cartouchii*, omnia praefraete negant. Ab ineunte autem fere aetate, anno scilicet aetatis nono, furtis & latrocinis adsuetus fuit, qui nunc in carcerem detrusus, hilarem semper praese fert animum, & vinculorum fastidium, nugis ineptisque, quas magno agere solet conatu, lenire cupit.

Conciergerie.

Roma, a. d. 15. Nouemb. Princeps haereditarius Mutinensis vna cum coniuge sua hic apud nos moratur, sed se comitem *S. Felicis*, appellat. Eius causa factum est, ut *Eminentissimi Cardinales, Gualterius atque Roanius*, Albano celeriter huc redirent. Pontifex Maximus, Principem hunc, cum urbem nostram accessisset, quam humanissime excipiendum curavit. Quod & ab aliis, quae hic sunt, aulis, factum postea fuit. Ex portu Liburno cursor huc accessit nuntiauitque illuc appulsas esse naues,

quae *Cardinali Beluga*, missae sunt, ut rebus suis in eas impositis, in Hispaniam redeat.

Londino a. d. 4. Nouembr. *Norrisius*, summus classis praefectus, 31. Octobris, cum nauibus, quas secum habuerat, e mari Baltico redux factus est, & naues, hibernandi causa, in varios portus dimisit. Ipsi Kal. Nouembribus, in hanc accessit urbem, & sequenti statim die ad regem accessit, cui rerum a se gestarum rationem luculenter exposuit. *Lawius*, qui in gratiam a rege denuo receptus est, cum filio se in palatium, quod a *Jacobo* accepit nomen, contulit, ut gratias ageret regi, cuius auspicio nunaque his demum regionibus reditus fuit. Plerique, eum sibi in hac urbe comparare velle, dicunt, aedes, in quibus reliquum vitae, remotus a negotiis, in otio traducere queat. Navis illa, cui phoenicis nomen inditum fuerat, mercibus onusta, crebris quassata fluctibus, in mari demersa est.

Hamburgi, a. d. 15. Nouemb. Simul ac fama de morte *Ranzonii Comitis*, quem insidiosè nuper interfectum commemorauimus, percrebuerat, illico magister equitum, cum sexaginta equitibus Danicis, ad occupandam arcem fuit missus, quod non aliam ob causam factum arbitrantur, quam ut omnia facta tectaue in illa conseruentur. Sunt, qui paucis ante diebus, quam facta esset nefanda caedes, aduenisse perhibent hominem quendam ad *Comitem*, qui se edicturum promiserit eorum nomina, qui in eum coniurassent, dummodo centum numos, quos imperiales vocant, delatori se daturum polliceretur. Sed cum is non nisi decem illi offerret, nulla deinceps amplius illius rei facta est mentio, & *Ranzonius*, mortifero occisus ictu misere perit. Cete.

Ceterum percussores, ad hunc usque diem necquidquam conquisiti sunt, quos vel plane aufugisse, vel suis occultatos latebris, tutos esse existimamus.

Tubinga, a. d. 26. Nou. Cum studiorum in Suevia felicitati, duæ res adhuc obfuisse viderentur, tum quod priuato consilio, neque coniunctis viribus aut communicatis inuicem moliminibus cuncta fuerint suscepta & peracta, tum quod libris etiam præstantissimis plerumque defuerit editor; vtrique incommodo mederi constituit, quæ nuper e viris doctis collecta est Academia Historiarum Sueuica. Huic enim animus est, plenos frugi libros historicos edere, bene de studiis historicis coniunctisque litteris meritorum vitas enarrare, & iunctim in lucem proferre quas possident eruditi Sueui siue suas, siue aliorum cogitationes & observationes singulares, rarioresque de rebus ad historiam spectantibus. Quo fiet, ut innotescant, qui grauiorum munerum dignitate conspicui litteras iuuarè possunt, aut ita se vni alicui studiorum generi addixerunt, vt aliis etiam lucem fœnerari valeant; vt ingenia viuaciora vinci se ab inferiorum industria non patiantur, mediocria cum superioribus de palma contendant, otii amantiores excitentur ardore conatuque membrorum Academiae ad simile quid audendū erigendasq; in aliis quoque scientiis Societates litterarias virorum de studiis historicis aliisque bene meritorum memoria seruetur, exemplo posteris futura, quod imitentur; denique vt vindicentur ab obliuione & interitu libri quamplurimi historici, obseruationesque rariores, nisi in lucem hac ratione protrahantur, periturae; omniaque in Numinis Diuini gloriam ver-

gant. Prostant typis publicis exscripta huius Academiae Statuta, e quibus potiora delibabimus. *Præsidi* Academiae adiungetur, qui vicem eius gerat, ea conditione, vt illo decedente, hic ipso muneris iure illius in locum sit successurus, eritque Præsidi curæ, legum obseruatio & Academiae commodum. Bibliothecam Academicam, constantem scriptis editis & ineditis nomen Societatis præ se ferentibus, tum & Documentis monumentisque quocunque nomine ad Academiam spectantibus, Sigillumque Societatis publicum separatim e rebus propriis custodiet. Operam dabit, vt rite concipiantur a Secretario, quæcunque nomine Academiae erunt scribenda, aut pro rei grauitate ipse exarabit. Omnia Academiae nomine exarata subscribet, & quidem ita, vt ex voluntate & mandato vniuersæ Academiae id se fecere profiteatur. Sumtus in negotia Academiae erogandos, vsque dum aliter prospiciatur, ipse feret solus, nec alio fruatur commodo, quam pecunia, quæ sub receptionem a singulis membris exsoluetur. De eadem vero speciatim Secretario Salarium constituet, Sigillum cæleri, Statuta typis exscribi & diplomata confici curabit. Quoties ultra 14. dies a loco domicilii aberit, *Vice-Præsidi* Sigillum & alia necessaria tradet, litterasque Academiae negotia tangentes exhiberi idem curabit. In conuentibus solennibus Academiae & minus solennibus Directorem aget, vota colliget, decisum formabit &c. Cessabit eius officium morte, resignatione, expulsionem ex Academia, aut domicilio in perpetuum extra Sueuiam translato. *Vice-Præsidi* decedente, membra Societatis a Præsidi inuitata plurimorum consensu alium e membris Academiae in locum eius subro

subrogabunt. Officium eius erit, Præfidi vel absentis vel aliis negotiis impediti vices gerere sumtusque necessarios expendere, quos a Præfide reuerso recipiet. In Conuentibus proximum a Præfide locum occupabit. *Membrorum* numerus non est definitus: omnibus enim in Sueuia historiarum amatoribus aditus patebit. Qui vero Academiæ adscriptus Sueuiæ valedixerit, pro membro extero habebitur. Nam honoris causa sex præstantiores inter externos viri eruditi in numerum Academicorum recipientur, eodem iure, quo reliqui, gauisuri, voto tamen carituri. Præterea liberum erit, quibusvis Principibus aut Comitibus exteris Academiæ nomen dare; qui tamen legibus Academiæ non tenebuntur. Eligentur autem viri docti & probi, cuiuscunque fuerint Religionis in Imperio Germ. probatæ, Facultatis aut fortunæ; siue muneribus publicis admoti sint, siue minus. Singulis trimestribus ante conuentum solennem membrorum indicabit nomina Præfes, de quibus recipiendis sit deliberandum, singulorumque sententiam de doctrina moribusque eligendorum requiret. Hinc die XV. *Secretarius*, præfente Præfide duobusque minimum membris, votorum inibit numerum, recipieturque quemcumque duæ vorum tertiæ probauerint; nisi contra eum prægnantes urgeantur causæ, quas expendet sententiamque pronuntiabit Præfes. Electo mittetur Diploma latinum, Academiæ Præfidis ac Secretarii nomine, sigilloque publico munitum, una cum Statutorum exemplo, rogabiturque pro conditione dignitatis decenter, vt Academiæ accedere velit. Id si non recusauerit, pro oneribus, Academiæ incumbendis, aureum numum (Du-

catum vocant) singulisque deinceps annis unum florenum conferet, proximoque conuentu solenni & in consensu & in Catalogo membrorum locum occupabit, quem ei dies acceptationis tribuerit. Præter mortuos & sponte se abdicantes, excludentur ab Acedemia, qui ea commiserint, quæ iuris vel facti sequitur infamia, aut qui in officio Academiæ præstando negligentes deprehensi fuerint. Plura in posterum.

Vienna, a. d. 6. Decemb. Nudius tertius Imperator Augustissimus aporum venatione semet oblectauit, ad quam cum exisset, Legionem *Harrachianam*, peditibus constantem, nouis ornatam vestimentis, in suburbio lustrauit. Eadem ista legio hodie nauibus, quarum beneficio huc accesserat, imposita Posonium iter suum profecuta vnde postea in sua, quæ ei parata sunt, hiberna, dimittetur.

Posonii, a. d. 10. Decemb. Speramus fore, vt simul ac *Secretarius Excellentissimi* Comitiss ab *Tbürbeimb* Vienna redierit, de summa *Portionum*, certi quidpiam nuntiari possit. Cum enim *Inclyti Status* non nisi *sexaginta Portionum millia* a se præstari posse iure obtendant; *Excellentiss.* vero Comes *Tbürbeimb*, ab *Octoginta quinque* recedere se haud posse adseueret: rem omnem ad regem indulgentissimum deferri, & ab eius clementia eam præstolari summam placuit, quæ a Regno, oppido exhausta, queat persolui. Negotia religionis adhuc discutiuntur, institutaque hodie consultatione, serio iterum partes sunt monitæ, vt quæ sibi incumbunt, sine cunctatione, agant. Alioquin post alterutrius noctis gelu intensius, secutasque postea niues, hyems maturius ingruit, quam id sperauissemus.